

preſſe habetur, « quod quis navis fabricandæ, vel emendæ, vel armandæ, vel instruendæ causa, vel quoquo modo crediderit, vel ob navem venditam petat, habet privilegium post fiscum. » Quidquid tamen sit de eo, qui credit in refectioe navis, cui expresse præfertur fiscus, in aliis tamen casibus contrarium videtur sentiendum ob rationes supra relatas. Si enim reservatarius domini præfertur doti, et dos præfertur fisco, sequitur

DONATIO.

Vide verb. CONTRACTUS DONATIONIS.

DOS, DOTARE.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Dos quoad variam ejus acceptio- nem, naturam, divisionem, et proprietatem, seu dominium.*

1. Vocis, seu termini Dotis æquivocatio aperitur, ac assignantur acceptiones et usus, ad n. 5. — 4. Assignantur Dotes Animæ beatæ, et quare virtutes Theologicæ non dicantur dotes. — 5. Obiter assignantur Aureolæ Beatorum, ac quid et quot sint; et cur dicantur Aureolæ. — 6. Assignantur Dotes corporis Gloriosi, quidque beatis corporibus præsent. — 7. Dos quid sit iuridice, et civiliter capta. — 8. Dos est duplex, Profectitia scilicet, et Adventitia. — 9. Dos Profectitia quæ sit. — 10. Dos Adventitia quæ sit. — 11. Dominium, seu proprietas dotis tradita in re mobili in certo numero, pondere, et mensura pertinet absolute ad maritum. — 12. Sic etiam ad maritum spectat dominium, seu proprietas dotis siye in re mobili, siye immobili, quando ei talis dos tradatur æstimata æstimatione faciente venditionem. — 13. Unde si res æstimata pereant, aut deteriores fiant pereant, aut deteriores fiant ipsi marito, uti earum domino. — 14. Hinc plurimum interest maritis; ut res dotales absque æstimatione recipiant. — 15. Dominium naturale Dotis in re immobili non æstimata, sed præcise taxationis causa, non æstimatione faciente venditionem, pertinet ad uxorem; Civile vero transit ad maritum. — 16. Fundus Dotalis remanet in dominio uxoris, et ad ejus periculum stare dicitur, nunquam transit in verum, et naturale dominium mariti. — 17. Solutio matrimonii, dominium civile ipso jure, et ministerio legis statim transfertur in uxorem, et consolidatur cum naturali. — 18. Fundus Dotalis, seu dos in re immobili non æstimata ita spectat ad verum, et naturale dominium uxoris, ut maritus eam alienare, hypothecare, aut alias obligare non possit. — 19. Immo neque alienari potest cum consensu uxoris. — 20. De Jure tamen Canonico valet alienatio interveniente uxoris jramento de non revocando, seu non contraveniendo. — 21. Ususfructus Dotis etiam rei immobilis, et inæstimatæ pertinet ad maritum. — 22. Si tamen lucrum perceptum ex fundo dotali non pertineat ad fructuum, seu reddituum naturam, et sit sors quædam præcipua, quæ dotem augeat, non pertinet ad maritum. — 23. Dominium, seu proprietas dotis amittitur ab uxore propter ejus adulterium, et transit in maritum; similiter a marito propter ejus adulterium amittitur dominium, seu proprietas donationis, seu donati propter nuptias, nisi inter se reconciliati fuerint. — 24. Hoc tamen intelligi debet post Judicis sententiam. — 25. Solutio per mortem mariti matrimonio, filia familias vidua habet plenum jus suæ dotis adventitiæ tam quoad proprietatem, seu dominium, quam quoad usumfructum, privative etiam quoad patrem. — 26. Solutio matrimonio dominium, seu proprietas dotis profectitiæ pertinet ad filiam familias viduam. — 27. Talis autem dotis profectitiæ

necessario, quod etiam fisco præferatur reservatarius domini ex regula, « quod si vinco vincem te, multo magis vinco te. » Præterea in allato textu nulla fit mentio expressæ reservationis domini, ideoque ad summum dicendum erit, quod nulla existente expressa domini reservatione, credens in refectioe navis non præfertur fisco; secus in casu contrario.

ususfructus pertinet ad patrem, ad quem reverti debet, nisi aliud conventum fuerit in constitutione ipsius dotis; et hoc quousque eadem filia secundo nubat dummodo tamen eo tempore alatur a patre. — 28. Mortua uxore, ususfructus dotis spectat ad maritum, proprietas vero pertinet ad filios. — 29. Quando res in dotem data sit æstimata; et quando inæstimata.

ARTICULUS II. — *Dos quoad illos, qui tenentur eam dare.*

1. Pater tenetur dotem dare filiæ. — 2. Conclusio procedit, etiamsi filia cum patris consensu nubens propria bona adventitia habeat, nisi pater gravi inopia laboret. — 3. Item procedit conclusio, etiamsi pater filiam Matrimonio collocaverit nulla facta mentione dotis. — 4. Eadem ratione si mulier dives non facta expressione, et conventionem dotis ducta sit; tacite censetur ejus bona vel saltem pars honorum pro conditione, et dignitate viri in dotem constituta. — 5. Insuper procedit conclusio etiamsi filia, in scio, vel invito patre, viro tamen digno nupserit. — 6. Limitatur tamen conclusio in casu, quo filia ante annum vigesimum quintum in scio, et invito patre nupsit indigno moribus, aut genere. — 7. Indignus censetur conjux ille, cui alter nubere absque dedecore juxta mores Civitatis non potest. — 8. Limitatur insuper conclusio in omnibus illis casibus, quibus pater filiam exheredare possit. — 9. Si pater dotare nequit filiam, tenetur eam dotare avus paternus. — 10. Et quidem ante matrem. — 11. In defectu patris, et avi paterni, et accedente magna et probabili causa tenetur mater ipsa dotare filiam. — 12. In defectu omnium dictorum ascendentium tenetur frater dotare inopem Sororem ex patre. — 13. Dotem dare tenentur omnes, qui illam serio promiserunt, cujuscumque sint sexus, aut conditionis. — 14. Deflorator, qui absque promissione Matrimonii virginem per vim, fraudem, vel metu injuste incussum violavit, tenetur illam dotare, aut ducere in uxorem. — 15. Adducitur, et solvitur instantia. — 16. Deflorator tenetur dotare puellam a se inique defloratam, quamvis sit paratus eam ducere in uxorem, si pater ipsius, aut ipsa seducta recuset Matrimonium cum ipso defloratore. — 17. Talis deflorator tenetur dotare puellam sic defloratam, etiamsi ipsa jam habeat dotem competentem. — 18. Et hoc pro foro externo. Pro foro autem interno sufficit supra dotem quam alias a patre, vel aliunde, haberet, addere quantum necessarium est, ut possit nubere viro æquali, perinde ac si deflorata non fuisset. — 19. Talis deflorator tenetur in foro externo dotare defloratam, etiamsi deflorata præter amissionem virginitalis penitus nullum damnum passa fuisset. — 20. Pro foro autem interno si deflorata nullum damnum passa sit præter amissionem virginitalis, non tenetur eam dotare ante Judicis sententiam. — 21. Deflorator, qui vi, metu injuste incussum, fraude, seu dolo absque promissione Matri-

monii seducit, et cognoscit puellam ab alio jam corruptam, quæ tamen vulgo et publice virgo habebatur, tenetur in utroque foro illam saltem dotare arbitrio prudentis viri, si inde infamia sit secuta, ita ut non possit tam commode alteri nubere, sicut antea. — 22. Secus autem est de eo, qui vi, metu injuste incussum, fraude, seu dolo carnaliter cognoscit puellam jam corruptam, et ut talem jam publice habitam. — 23. Clericus in sacris constitutus, seu maritatus, qui fingens se laicum solum sub ficta promissione Matrimonii, obtinet a femina copulam, tenetur ipsam dotare in tantum, in quantum requiritur, et sufficit ad reparandum damnum, quod inde passa est decepta. — 24. Si vero puella damnum nullum ex inde patitur, ad nihil tenetur talis Clericus, seu maritatus in foro interno ante sententiam Judicis. — 25. Si tamen deflorator, siye sit Clericus, siye uxoratus, siye solutus crimen alias occultum postmodum propelet, indeque damnum puellæ defloratæ causet, tenetur illud ad æqualitatem etiam in foro interno, et ante omnem sententiam Judicis resarcire. — 26. Quinimmo etiamsi virgo libere consenserit in stuprum, sine vi, vel metu injuste incussum, fraude aut dolo, si tamen stuprator, seu deflorator crimen occultum postea propalaverit, eamque infamaverit, tenetur ad reparandum ejus honorem, et damnum infamæ injuste ei illatum resarciendum. — 27. Quantitas dotis danda a defloratore puellæ per vim, dolum, fraudem, aut metu injuste incussum defloratæ taxanda est in foro externo juxta quantitatem dotis, quam ipsa puella, si deflorata non fuisset, potuisset habere a parentibus vel aliunde secundum qualitatem suam, et mariti, quem non violata potuisset acquirere. — 28. Ordinarie loquendo, plus restitui debet a defloratore puellæ nobili, vel specialibus naturæ donis ornata, quam ignobili, aut deformi. — 29. Cæteris paribus deflorator dives non tenetur plus dare defloratæ, quam deflorator pauper. — 30. Deflorator pauper non tenetur semper dare tantam dotem, quantum alias puella posset habere secundum suam qualitatem et opulentiam suorum parentum, sed tantam solummodo quantum, salvo adhuc statu, et conditione sua dare potest. — 31. Deflorator tamen pauper, qui quantum tenetur non habet, debet tantum restituere, quantum interim salvo statu et conditione sua potest cum obligatione supplendi reliquum, si ad pinguiorem fortunam venerit. — 32. In foro interno quoque puellæ per vim, fraudem, dolum defloratæ restituenda non regulatur, et mensuratur juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt, sed mensuranda est præcise juxta damnum, quod injuste deflorata inde patitur. — 33. In foro interno, seu conscientia tenetur iniquus deflorator Dotem restituere juxta quantitatem damni, etiam in casu, quo Judex non bene informatus in foro externo ad minorem Dotem per sententiam ipsum obligaverit. — 34. Etiam in foro interno, seu conscientia debet puellæ nobili, aut specialibus naturæ dotibus ornata, quam ignobili et deformi. — 35. Deflorator non tenetur dotare, nec ducere puellam, quæ libere sine vi, fraude, vel metu injuste incussum consensit in stuprum, se sponte ad id offerendo. — 36. Immo neque hoc casu in foro externo cogi potest talis deflorator ad ipsam dotandam, seu ducendam, etc. — 37. Deflorator neque tenetur in foro interno dotare seu ducere puellam, etiamsi illam suasionibus, vel blanditiis, seu precibus importunis, aut muneribus ipsam induxerit ad consensum in stuprum, dummodo sine ulla vi, fraude, vel iniis id fecerit. — 38. In foro tamen externo talis deflorator tenetur dotare, vel ducere puellam importunis precibus, et muneribus defloratam. — 39. An teneatur Pater dotem dare filiæ nuptæ sine ejus consensu. — 40. An teneatur, si filiæ culpa dos constituta et soluta primo Matrimonio perit. — 41. Nota in Auctorem.

— 42. 53. Quæ circa defloratores, et defloratas puellas Clemens XII pro Urbe sancivit.

ARTICULUS III. — *Dos quoad ejus reversionem, seu restitutionem, soluto Matrimonio, et facultatem eam repetendi, constante Matrimonio.*

1. Solutio matrimonii per mortem naturalem mariti, dos adventitia est in integrum restituenda uxori. — 2. Dos profectitia tamen redit una cum uxore dotata ad dotantem, si dotata adhuc est in potestate dotantis. — 3. Si autem uxor jam est emancipata, Dos est restituenda uxori. — 4. Solutio matrimonii per mortem naturalem uxoris, nullis ex illa extantibus liberis, Dos profectitia de jure communi revertitur ad patrem, si filia nondum fuerit emancipata. — 5. Si vero filia fuerit emancipata, tunc præmorta ipsa filia, Dos non revertitur ad patrem dotantem, sed transit ad hæredes ejusdem filiæ ab intestato. — 6. Dos adventitia, mortua uxore, de Jure communi non transit ad maritum, sed ad ipsius uxoris hæredes ab intestato. — 7. Sic etiam Dos a stupratore constituta puellæ stupratæ, pereunte ipsa stuprata, non revertitur ad stupratorem, sed ad hæredes ipsius stupratæ. — 8. Eadem ratione Dos constituta per raptorem filiæ raptæ, mortua ipsa rapta, non revertitur ad raptorem, sed ad hæredes ipsius raptæ. — 9. Item Dos constituta a viro sene et ignobili puellæ juveni, non revertitur ad ipsum donantem, sed ad hæredes ipsius feminae. — 10. Solutio Matrimonii quoad vinculum, viventibus adhuc contrahentibus, v. g. per impedimentum dirimens, cum quo ignoranter contraxerunt, Dos integra restituenda est uxori putativæ. — 11. Dos contrahentium scienter cum impedimento dirimente, nisi minor ætas excuset, acquiritur Fisco. — 12. Si Matrimonium ex licita causa separatur, quia v. g. maritus cum uxoris consensu ingreditur Monasterium, aut suscipit Ordines, tota Dos est restituenda uxori. — 13. Si vero Matrimonium separatur quoad torum per Ecclesie judicium ratione alicujus culpæ contrahentium, tunc si talis separatio fiat ex culpa mariti, Dos est restituenda uxori. Si autem fiat ex culpa uxoris, ipsa perdit dotem, eaque accrescit marito. — 14. Dissolutio Matrimonii non tantum integra Dos, sed etiam dimidia pars omnium illorum lucrorum quæ constante Matrimonio ambobus conjugibus, simul ac utriusque intuitu obvenerunt, debet a marito restitui uxori, seu ejus hæredibus. — 15. Illa autem bona, et lucra quæ constante Matrimonio uni conjugi in specie, et intuitu illius solius obvenerunt, non debent dividi inter conjuges, sed integra remanent illi soli conjugi, intuitu cujus obvenerunt. — 16. Sic illa lucra, quæ solius viri industria, studio, labore, officio, arte, etc. constante Matrimonio, acquisita sunt, soli viro, ejusque hæredibus remanent, nec quidquam de iis debetur uxori, aut ejus hæredibus. — 17. Constante Matrimonio, si maritus culpa sua ad inopiam vergat, ita ut evidenter constet facultates ejus non sufficere ad assecurandam dotem, vel certe esse periculum illius, potest uxor repetere Dotem suam. — 18. Si autem in tali casu dos uxoris fidejussione, aut alia cautione sufficienter assecurari potest, tenetur uxor arbitrate Judice acceptare. — 19. Si absque culpa maritus vergit ad inopiam, nequit cogi ad restituendam Dotem. — 20. Potest tamen uxor, incipiente marito vergere ad decoctionem, agere hypothecaria contra tertium creditorem; Nec creditor potest opponere jus offerendi ad impediendam ipsam uxorem. — 21. In hoc casu si bona, quæ uxor detinere intendit contra tertium creditorem, essent excedentia Dotem, et divisibilia, posset tantum detinere, quantum sufficeret ad Dotem, reliquum vero teneatur dimittere. — 22. Si vero bona illa essent indivisibilia, posset illa constante Matrimonio detinere, sed excessum fructuum teneatur restituere. — 23. Potest insuper uxor, constante Matrimonio,

suam repetere Dotem, si bona mariti Fisco inferantur. — 24. Uxor ratione Dotis habet tacitam, et privilegiam hypothecam in omnibus bonis mariti, ita ut præferatur omnibus aliis creditoribus. — 25. Circa omnia hæc dicta de Dote, sunt attendendæ speciales conventiones Dotales, et locorum consuetudines. — 26. Pro Dote profectitia filiam agere potest. — 27. Mulier tacitam habet hypothecam pro Dote. — 28. 29. An adversus Fiscum obtineat prælationem.

ARTICULUS I.

Dos quoad variam ejus acceptionem, naturam, divisionem, et proprietatem, seu dominium.

(1. Dotis nomen quodammodo æquivocum est; primo enim late, et communiter perfectiones quædam, quibus naturaliter afficiuntur homines, dotes appellari solent: sic qui optimo pollet ingenio, facundia, robore, pulchritudine, etc., dicitur bene donatus, vel optimas habere dotes.

(2. Secundo, et proprie, a Theologis ornatus, et dona quædam supernaturalia a Deo animæ sibi in æternum desponsatæ largiter concessa, Dotes animæ vocantur; immo cum beatitudo, quæ ex Boetio 3, de Consolat. est status omnium honorum aggregatione perfectus, taliter adhuc in corpus redundet, quod æternus beatus etiam ipsi ornatus, et dona quædam supernaturalia elargiatur, illa corporis gloriosi Dotes nominant: dos autem theologicæ, ac supernaturaliter sumpta generatim describi potest, quod sit ornatus, et donum quoddam perpetuum in æterna beatitudine proportionaliter animæ, et corpori concessum.

(3. Tertio, nomen Dotis juridice, et civiliter capitur pro eo scilicet, quod sive mobile sive immobile datur intuitu Matrimonii, et de hac præsertim procedit titulus; prius tamen Theologorum communiter quæ supra, breviter perstringamus.

(4. Dotes igitur animæ beatæ tres a Theologis recensentur; videlicet clara Dei Visio, comprehensio seu Tuitio, et Fruitio. Prima sufficit loco Fidei, secunda Spei, tertia Charitatem nunquam excidentem perficit; de quibus fuse Scholastici; si autem quæras cur Fides, Spes, et Charitas animæ in via tributæ non dicantur ejusdem Dotes; respondetur id esse, quia unio indissolubilis, et consummata animæ cum Christo, quæ analogice Matrimonium dicitur, quo Christus eam sibi sponsat, non est nisi in patria; quædiu enim sumus in hac vita ex Apostolo 2, ad Cor. 5, peregrinamur a Domino: quæ autem ante Matrimonium dantur, non dotes, sed donationes potius vocantur; et idem dicendum de donis aliis ante ingressum gloriæ collatis.

(5. Ulterius obiter accipe, ultra dotes prædictas omnibus beatis communes, a Theologis insuper assignari præmia quædam propter heroicitates quasdam aliquibus concessa, quæ Aureolas vocant; est autem Aureola generatim accepta præmium aliquod accidentale reportatum in cælo propter insigne aliquod factum, et singularem victoriam in vita a Beatis obtentam de capitalibus

ARTICULUS IV. — *Dos quoad fideicommissum.*

1. 5. De Justiniana Constit. coercent Fideicommissentium abusus. — 6. 10. Huic non adversatur contraria disponentis voluntas. — 11. 16. Eadem Constitutio extenditur etiam ad dotes spirituales. — 17. 19. Quandonam huic Constitutioni locus sit. — 20. 24. A quonam Dotes a Fideicommissis detrahantur. — 25. 29. De Transversalium Fideicommissis. — 30. 32. De particularibus Fideicommissis. — 33. 34. An Dotes ex feudis possint detrahi.

christianæ salutis inimicis, Diabolo scilicet, mundo, et carne: hinc tres communiter a Theologis assignantur Aureolæ. Prima est pro Martyribus, qui heroice triumpharunt de mundo, sævas persecutiones sustinendo et mortem ipsam subeundo, Christum fortiter confitendo. Secunda est pro Doctoribus, qui per sapientiam, et doctrinam, erroris, infidelitatisque tenebras propulsantes decipientem Diabolum excellenter debellarunt. Tertia est pro Virginitibus, sive omnibus illis, qui per continentiam virginalem carnem insigniter calcarunt; dicuntur autem Aureolæ seu quasi parvæ aureæ coronæ, non quia magnæ non sint, sed quia exiguæ videntur respective ad beatitudinem essentialem, quæ aurea seu corona aurea dicitur.

(6. Corporis gloriosi Dotes quatuor a Theologis enumerantur, nimirum impassibilitas, claritas, agilitas, et subtilitas. Per impassibilitatem corpus gloriosum erit incorruptibile, et immortale; 1. ad Corinth. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem, consequenter nec pati poterit quidquam; Isaïa 49. Neque esuriant, neque sicient, etc. et Apocal. 21. Absterget Deus omnem lacrymam, etc. Per claritatem corpora Beatorum fulgebunt quam maxime; Matth. 13: Tunc justi fulgebunt sicut sol; Ad Phiippens. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ configurationem corpori claritatis suæ; ande si in densissima nocte unicum e gloriosis corporibus appareret, noctem ipsam verteret in lucidissimam diem. Per agilitatem corpora Beatorum vim se absque difficultate, et fatigatione quaquaversus movendi habebunt; Isaïa. cap. 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, et non laborabunt, ambulabunt, et non deficient. Sapient. 3. Tamquam scintille in arundinetis discurrent. Per dotem subtilitatis, quæ arguitur ex I ad Corinth. 15, seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Beatorum corpora cælos aliaque corpora penetrare, ac per illa transire poterunt, sicut Christus Dominus ex Virginis utero, et sepulcro est egressus, januis clausis ad Apostolos ingressus, ac cælos penetratus.

Verum in assignanda hujusmodi Dotis ratione non parum discrepant Theologi; nobis tamen præfata extremis labiis libasse sufficiat, fusius enim hic immorari non expedit; interim ex his quisque meminerit, quod Apostolus ait, 1, ad Corinth. 2. Oculus non vidit, nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se, ad Rom. 8. Non sunt condignæ passionibus

hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

(7. Dos juridice et civiliter capta, est bonum in pecunia, seu in alia re mobili vel immobili consistens, ab uxore, vel alio ejus nomine datum marito ad onera Matrimonii sustinenda, ut videlicet ex ejus fructibus uxorem, et familiam facilius sustentare possit. Colligitur hæc definitio ex. l. Dotis 1, ff. de Jure dotium, et l. Plerumque 10, § 3, eod. Est in re communis. (8. Dos est duplex; Profectitia scilicet, et Adventitia. (9. Dos Profectitia est illa, quæ a Patre, vel ab alio ascendente paterno filiam in potestate habente, vel ab alio, intuitu tamen Patris, datur; leg. Profectitia 4, ff. de Jure dotium, et l. Unica Cod. de rei uxoria actione. (10. Dos Adventitia est illa, quæ nec a patre, nec ab ascendente paterno, sed ab alio absque ullo intuitu patris datur; l. unic. § Accedit. C. De rei uxoria actione.

(11. Dominium, seu proprietas dotis traditæ in re mobili in certo numero, pondere, et mensura v. g. in tanta pecunia, in tot pecoriis, et hujusmodi, pertinet absolute ad Maritum, ita ut de ea pro suo libitu disponere possit; cum obligatione tamen, quod soluto Matrimonio, ipse vel ejus hæres restituat tantundem ejus generis, et qualitatis in eodem numero, pondere, et mensura, textu expresso in leg. Si res in dotem 42, ff. de Jur. dotium, ibi: « Res in dotem date, si in numero, pondere, aut mensura constant, mariti periculo sunt, quia in hoc dantur, ut eas maritus ad arbitrium suum distrahat, et quandoque soluto Matrimonio, ejusdem generis, et qualitatis restituat, vel ipse, vel hæres ejus. » (12. Sic etiam ad Maritum spectat dominium, seu proprietas dotis sive in re mobili, sive immobili, quando ei talis dos traditur æstimata æstimatione faciente venditionem, textu expresso in leg. Quoties 5. Cod. de Jure dotium, ibi: « Quoties res æstimata in dotem dantur, Maritus dominium consequetur summa velut pretii debitor efficitur; si igitur non convenit, ut soluto Matrimonio restituantur, retinebit eas, si pecunias tibi offert. » Concordat. l. Plerumque 10, § 4, ff. de Jure dotium, ibi: « Si ante Matrimonium æstimata res dotales sunt, hæc æstimatio quasi sub conditione est, namque hanc habet conditionem, si Matrimonium fuerit secutum; secutis igitur nuptiis, æstimatio rerum perficitur, et fit vera conditio. » (13. Unde sequitur quod si res æstimatæ pereant, aut deteriores fiant, pereunt, aut deteriores fiant ipsi Marito uti earum domino, sicuti tamquam verus dominus lucrum, si quod esset ex ipsis, ipse referret; textu expresso in l. Cum dotem 10. Cod. de Jure dotium, ibi: « Quis enim dubitet æstimationem a te mulieri deberi, cum periculo tuo res deteriores fiant, vel augmenta luero tuo recipiantur; » et concordat l. unic. § 9. Cod. de rei uxoria actione, ibi: « Æstimatarum enim rerum maritus, quasi emptor, et commodum sentiat, et dispendium subeat, et periculum expectet. » (14. Hinc plurimum interest Maritis, ut res dota-

les absque æstimatione recipiant, textu expresso in l. Plerumque 10, ff. de Jure dotium, ibi: « Plerumque interest viri (res in contractu nuptiali) non esse æstimatas, ne periculum rerum ad eum pertineat; » quia tunc si æstimatio non præcessit, damnum superveniens absque culpa Mariti, et deterioritas ipsarum rerum dotalium non æstimatarum in solam cadit uxorem, textu expresso in cit. l. Plerumque, ibi: « Quoties igitur non æstimatæ res in dotem dantur, et meliores, et deteriores mulieri fiunt. »

(15. Dominium naturale dotis in re immobili, non æstimata, sed præcise taxationis causa, non æstimatione faciente venditionem, pertinet ad uxorem; civile vero transit ad maritum. Rota part. 8, recent. dec. 259, num. 1, et part. 15, dec. 277, num. 16, textu claro in leg. In rebus 30. Cod. de Jure dotium, ibi: « Cum eadem res ab initio uxoris fuerint, et naturaliter in ejus permanserint dominio; » et clare evincitur ex iis omnibus juribus, in quibus dos dicitur proprium patrimonium uxoris, ut in l. 3, § Sed utrum, ff. de minor. l. unic. § et hoc, C. de rei uxoria actione, et ex iis juribus, in quibus dicitur dos esse in bonis mulieris, ut in l. Filius, ff. de Collat. bonorum, vel simpliciter esse mulieris, ut in l. Pater, ff. de Evict. et in l. Quamvis, ff. de Jure dotium, et respectu Mariti dicuntur esse res alienæ; l. Si constante, § Si maritus, ff. de Jure dotium; et l. Donatio, § fundum, et l. Etiam, § 1, cod. tit. (16. Unde fundus dotalis remanet in dominio uxoris, et ad ejus periculum stare dicitur, et nunquam transit in verum, et naturale dominium viri; Rota part. 12, recent. dec. 10, n. 27, dec. 21, num. 29, part. 13, dec. 51, num. 9, part. 15, dec. 83, num. 11, et 12, part. 18, tom. 1, dec. 98, num. 10. (17. Solutio Matrimonio, dominium civile ipso jure, et ministerio legis statim transfertur in uxorem, et consolidatur cum naturali, leg. Dotis, ff. Solutio matrim. Rota par. 13, dec. 349, par. 15, dec. 190, num. 7, et dec. 279, num. 17.

(18. Fundus dotalis, seu dos in re immobili non æstimata ita spectat ad verum, et naturale dominium uxoris, ut Maritus eam alienare, hypothecare, aut alias obligare non possit. Princip. Instit. Quibus alienare licet, vel non, ibi: « Dotale prædium maritus invita muliere per legem Juliam prohibetur alienare; » Rota par. 3, dec. 573, n. 2, par. 4, tom. 2, dec. 492, n. 1, par. 8, dec. 91, num. 6, par. 9, tom. 1, dec. 431, n. 8, dec. 269, num. 13, et seq. part. 15, dec. 190, n. 5, part. 18, tom. 1, dec. 98, n. 29, part. 19, tom. 1, dec. 68, num. 20, et ead. part. 19, tom. 2, dec. 436, num. 1. (19. Immo neque alienare potest cum consensu uxoris. Cit. Instit. Quibus alienare licet, vel non, ibi: « Interdicta alienatio, et obligatio (de hypothecca in specie erat prius etiam sermo) ut neutrum eorum, neque consentientibus mulieribus, procedat, » et ratio additur istis verbis: « Ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ ejus convertatur; » Concordat Nov. 61, cap. 1, § 1. Rota recent.

part. 4, dec. 619, n. 2, part. 19, tom. 1, dec. 214, n. 1. (20. De jure tamen Canonico valet alienatio, interveniente uxoris juramento, quo se obligat ad non revocandam alienationem, aut ad non contraveniendum, prout expresse statuitur, et in hoc puncto Jus civile corrigitur; cap. *Cum contingat* 28, de Jurejurando, ibi: «Cum contingat interdum, quod constante Matrimonio, alienationibus super rebus dotalibus, et donationibus propter nuptias consentiant; ne ulterius contraveniant proprio Sacramento firmando, ac soluto processu temporis Matrimonio, contravenire nitantur; utrum hoc eis liceat a nobis tua fraternitas requisivit. Nos autem fraternitati tuæ respondemus, quod etsi mulieris consensus in talibus non videatur obligatorius secundum legitimas sanctiones; ne tali tamen prætextu viam contingat perjurii aperiri, mulieres ipsæ servare debent hujusmodi juramenta sine vi et dolo sponte præstita, cum in alterius præjudicium non redundent, nec observata vergant in dispendium salutis æternæ;» Rota par. 4, tom. 2, decis. 492, n. 3, et part. 9, tom. 1, dec. 169, n. 12, et seq. par. 19, tom. 2, dec. 436, n. 5.

(21. Ususfructus dotis etiam rei immobilis, et inæstimatæ pertinet ad maritum; textu expresso in l. *Dotis* 7, de *Jure dotium*, ibi: «Dotis fructum ad Maritum pertinere æquitas suggerit,» et additur ibi ratio his verbis: «Cum enim ipse onera Matrimonii subeat, æquum est eum etiam fructus percipere;» et concordat leg. Pro oneribus Matrimonii mariti lucro fructus totius dotis esse, quos ipse cepit.... manifestissimi juris est.»

(22. Si tamen lucrum perceptum ex fundo dotali non pertineat ad fructuum, seu reddituum naturam, et sit sors quædam præcipua, quæ Dotem augeat, non pertinet ad Maritum, textu expresso in leg. *Si ex lapidicinis* 12, ff. de *Jure dotium*, ibi: «Si ex lapidicinis Dotalis fundi lapides, vel arbores, quæ fructus non essent, vendiderit, nummi ex ea venditione recepti sunt Dotis.» Sic etiam licet maritus habeat ususfructum silvæ cædæ pro dote sibi traditæ, non tamen potest sibi retinere lucrum perceptum ex alienatione arborum prægrandium, aut arduarum ibi existentium, cujus proinde ratione exigere ab ipso poterit ipsa Mulier, vel ipsius hæres, quod etiam verum est, licet ventorum vi arbores illæ ceciderint, textu expresso in leg. *Fructus* 7, § 12, ff. *Soluto Matrimonio*, ibi: «Si arbores cædæ fuerunt, vel gemmales, dici oportet in fructum cedere; sin minus, quasi deteriore fundum fecerit maritus, tenebitur. Sed et si vi tempestatis ceciderunt, dici oportet pretium earum restituendum mulieri, nec in fructum cedere.» Idem est dicendum de Marito, qui vendit ligna, lapides, etc. veteris ædificii, quod reficere, neque necessarium, neque utile est; l. *Si ex lapidicinis* 31, de *Jure dotium*, ibi: «Sive superficiem ædificii dotalis voluntate mulieris vendiderit, nummi ex ea venditione recepti sunt dotis.»

(23. Dominium, seu proprietas dotis amittitur ab uxore propter ejus adulterium, et transit in Maritum; similiter a Marito propter ejus adulterium amittitur dominium seu proprietas donationis, seu donati propter nuptias, nisi inter se reconciliati fuerint; l. *Dotem* 24, Cod. de *Jure dotium*, l. *Consensu*, § *Si vero causam*, Cod. de *Repudiis*, cap. *Plerumque* 4, de don. inter virum, et uxorem, ibi: «Si mulier ob causam fornicationis iudicio Ecclesiæ, aut propria voluntate (scilicet ob eandem causam) a viro recesserit, nec reconciliata postea sit eidem, dotem, vel dotalium repetere non valebit;» et in ejus sumario dicitur expresse: «Mulier propter adulterium a viro separata perdit dotem,» et sic tenet communis cum Glossa ibid. verb. *Dotalium*, et alia Glossa in cap. *Ex par.* 10, ex consuetudine, verb. *Bonis*. (24. Hoc tamen intelligi debet post Judicis sententiam, est enim pœna, sicuti ex communi docent Sa verb. *Divortium* n. penult. Sanchez lib. 10, de *Matrim. disp.* 8, n. 12. Layman lib. 3, de *justit. tract.* 4, c. 3, n. 6.

(25. Soluto per mortem Mariti Matrimonio, filiafamilias vidua habet plenum jus suæ dotis adventitiæ tam quoad proprietatem, seu dominium, quam quoad ususfructum, privative etiam quoad patrem; Bossius tract. de *Dote* cap. 3, n. 92. Constantinus Rogerius de *Dote quest.* 10, num. 18. Baldus Novellus de *Dote part.* 6, privil. 23, et l. duob. sequent. et part. 8, privileg. 10, et communis aliorum, et habetur l. *Pomponius Philadelph.* ff. *Famil. Eriscund.* et colligitur ex leg. *Cajus*, ff. *sol. Matrim.* ubi cum ageretur de Nepte, quæ erat sub patria potestate, et quæreretur, cui competeret actio ad dotem ab Avo Materno constitutam, respondit Paulus Jurisconsultus favore nuptiarum, eam actionem competere Nepti, ac proinde videtur negare de patre, et hæredibus per textum in l. *Cum prætor*, ff. de *Judic.*

(26. Soluto Matrimonio, Dominium seu proprietas dotis profectitiæ pertinet ad filiamfamilias viduam; Menochius de *presumption.* l. 3, præsumpt. 29, n. 80, et de *Arbitrariis* lib. 2, cas. 88, n. 39. Mascard. de *probation. Conclus.* 574, n. 6. Stephanus Gratianus tom. 2. *Discept. forens.* cap. 301, n. 30. Paschal de *Viribus patriæ Potest.* part. 2, cap. 4, num. 37, et a n. 69 ad final. Camillus Borellus in summa decis. par. 3. tit. 4, a num. 54 ad 58. Et ratio est, quia pater constituendo dotem filiafamilias, intelligitur eandem donare, seu constituere cum animo donandi; Salicetus in l. *Ex morte*, Cod. de *pact. convent.* Cephalus cons. 753, n. 5, vol. 5. Alexander cons. 99, num. 2, vol. 7. Quinimmo nedum donare sed etiam munus adimplere, ad quod tenetur; l. *Si cum Dote*, § *Si pater*, ff. *soluto Matrimonio*; et leg. *Cum dotem* 71, ff. de *Jure dotium*; eorum autem, quorum fit donatio vel ex libera voluntate, vel quodammodo ex debito, dominium transit ad donatarium, ut habet communis ex vulgat. jur. (27. Talis autem dotis profectitiæ usus pertinet ad patrem, ad quem reverti debet, nisi aliud conventum

fuerit in constitutione ipsius dotis; et hoc quousque eadem filia secundo nubat, dummodo tamen pro eo tempore alatur a patre. Est communis, argum. l. *Eos a patre*, Cod. *soluto Matrimonio*; l. *Si ab hostibus*, ff. eodem, et l. 6, de *Jure dotium*. (28. Mortua uxore, ususfructus dotis spectat ad virum, proprietas vero pertinet ad filios; l. 1. Cod. de *Bonis matern.* Rota part. dec. 126, sub n. 2, et part. 11, dec. 368, n. 25.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(29. Interest dignoscere, quando res in Dotem data sit aestimata, et quando inæstimata, tum ob effectus, quos affert Auctor, tum ob alios effectus. At vide de hac materia Rotam in Spoletana Immissionis super bonis S. Anatolii 13 Junii 1725. coram bon. mem. Nunez, in Romana Dotis super mandato 21 Januarii 1738. coram Rezzonico postea Summo Pontifice Clem. XIII. in Romana Immissionis super bonis Catharinæ Putignanæ 6 Maii 1737. coram clar. mem. Millin. in Eugubina Reintegrationis 21 Junii 1737. cor. clar. mem. Calcagnino in Romana, seu Januen. Locorum Montium 23 Junii 1738. coram eod. in Romana Immissionis 8 Maii 1743, coram bon. mem. Lana in Romana Dotis 10 Maii 1748. coram cl. mem. Mattheo.

ARTICULUS II.

Dos quoad illos, qui tenentur eam dare.

(1. Pater tenetur Dotem dare filia, textu expresso l. ult. Cod. de *Dotis promissione*, ibi: «Neque enim leges incognitæ sunt, quibus cautum est, omnino paternum esse officium Dotem, vel ante nuptias donationem, pro sua dare progenie,» et ibidem verb. *Intelligi* docet Glossa communiter recepta et concordat, l. *Qui liberis* 19, ff. de *Ritu nuptiarum*. (2. Et Conclusio procedit, etiamsi filia cum Patris consensu nubens propria bona adventitia habeat, nisi Pater gravi inopia labore; ut statuitur in cit. l. ult. Cod. de *Dotis promissione*. ut tenent communiter Doctores apud Covarruv. in epit. par. 2. cap. 3, § 7, n. 9. Layman lib. 3. de *Justit. tract.* 4, c. 13, n. 3. (3. Item procedit Conclusio, etiamsi pater filiam matrimonio collocaverit nulla facta mentione dotis; Glossa in leg. *Obligamur*, vers. *Lege* ff. de *Action. et obligat.* Abbas in cap. 1. de *Sponsalib. impub.* num. 6. Sanchez lib. 4, disp. 26, num. 3. Layman loc. cit. num. 4. et alii communiter. Et ratio est, quia tacite intelligitur sponso dos promissa, eo quod pater non solum obligatus sit ad providendum filia maritum, sed etiam ad dandam ei dotem; l. *Qui liberis* 19, de *Ritu nuptiarum*; Dos enim datur ad sustinenda onera Matrimonii, et Mulier sine Dote facile contemneretur a viro. (4. Eadem ratione, si mulier dives, non facta expressione, et conventionione dotis, ducta sit, tacita censentur ejus bona, vel saltem pars bonorum pro conditione et dignitate viri in dotem constituta, quæ si non solvatur, jus-

tam causam Maritus habet alimenta uxori negandi; Sanchez lib. 9, disput. 5, concl. 2. Gail. l. 2, observ. 93, num. 10. Layman loc. cit. n. 4. Et ratio est, quia cum dos detur ad sustinenda onera Matrimonii; arg. tot. tit. ff. et Cod. de *Jure dotium*, debet uxor dives assignare Marito congruam dotem pro tali matrimoniali onere sustinendo. (5. Insuper procedit conclusio, etiamsi filia, inscio et invito patre, viro tamen digno nupserit; Ripa in l. 1. ff. *soluto Matrimonio* n. 57. Menochius de *Præsumption.* lib. 4. præsumpt. 189. Sanchez cit. disp. 20, num. 16. Layman loco citat. num. 4, Reiff. lib. 4. decr. tit. 20, n. 39. et alii communiter. Et ratio est, quia pater, licet ægre ferre possit tale Matrimonium secundum modum, ex quo, ipso inscio, contractum fuerit; non potest tamen rationabiliter illud ægre ferre secundum substantiam, cum pater ipse teneatur providere filia de viro digno, et ei congruam dotem tradere; l. *Qui lib.* 19, de *Ritu nuptiarum*.

(6. Limitatur tamen Conclusio in casu, quo filia ante annum 25, inscio patre et invito, nupsit indigno moribus, aut genere. Tunc enim cogi non potest pater ad plene dotandam talem filiam, sed solum ad alimenta necessaria præstanda, quæ pater liberis suis indigentibus etiam ingratiss, et immorigeris naturali jure dare tenetur; arg. cap. *Cum haberet de eo, qui duxit*, et leg. *Qui liberis*, § *Si vel parens*, ff. de *Liberis agnoscendis*, et tenet communis cum Covarr. in epit. par. 2, c. 3, § 8, num. 7. Sanchez lib. 4, disp. 16, num. 19. Rodriq. tom. 1. sum. cap. 14, n. 4. Layman loc. cit. n. 4. Unde ad Judicem pertinebit arbitrari, considerata indignitate mariti, et inobedientia filia, utrum delictum ejus dotis subtractionem mereatur. Non enim competit patri facultas statim exhæredandi filiam ita nubentem, aut ei notabiliter dotem minuendi sine arbitrio Judicis, ut statuit Carolina Constitutio in Comitibus Augustanis promulgata, teste Haunoldo tract. 3, c. 5. contract. 5, n. 382. (7. Indignus autem censetur conjux ille, cui alter nubere absque dedecore juxta mores Civitatis non potest; arg. leg. *Si adulterium cum incestu*, § *Stuprum*, ff. ad l. *Juliam, de Adulterio* ibi: «Contumacia juris, et sanguinis contumelia;» Sic etiam indignus conjux censetur, qui est malorum morum; arg. l. *Sed ea*, ff. de *Sponsal.* et l. *Nuptia* Cod. de *Nupt.* ibi: «Si pares sint genere, et moribus;» Menoch. de *Præsumpt.* lib. 4, præsumpt. 189, num. 25. in fine; Sanchez lib. 4, disp. 26, n. 23. Reiffenstuel loco citato num. 41. (8. Limitatur insuper Conclusio in omnibus illis casibus, quibus pater filiam exhæredare non potest. Sic communis Doctorum cum Sanchez lib. 4, disp. 29, num. 1. Reiffenstuel loc. cit. num. 43. Non enim major ratio requiritur ad privandam filiam dote, quam ad eam privandam legitima, cum dos substituatur legitimæ, et in eam imputetur; l. *Quoniam* 29, C. de *In-officiis. Testament.*

(9. Si pater dotare nequit filiam, tenetur eam dotare Avus paternus; arg. l. *Dotem* 7, ff. de *Jur. dotium*; (10. Et quidem ante